H. H 96

PASTOR PERCVSSVS,

Seu

Acerbæ, & ignominiosæ mortis

HVMANATI VERBI

IESV CHRISTI

REDEMPTORIS NOSTRI

Pro peccatis mundi crudelissimè occisi

MEMORIA,

Renouata in gratiam peccatorum.

Per

HYACINTHVM PRZETOCKI

Pleb. in Wysoka.

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Francisci Cæsarij.

FRamea ſuſcitare ſuper *Paſtorem meum*, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: *Percute Paſtorem, & diſpergentur oues.* Zachar. cap: 13.

Approbatio.

EGo *IACOBVS VSTIENSIS S. Th. Doctor, per Diœceſim Cracouienſem librorum Cenſor, legi acerbam & ignominioſam* IESV CHRISTI *Redemptoris noſtri Paſſionem, elaboratâ oratione, cui titulus* PASTOR PERCVSSVS, & *ſuaui metrorum penicillo ab Adm. Rndo D.* HYACINTHO PRZETOCKI, *Plebano in Wyſoka, quaſi oculis ſubiectam, & ſicut doctrinæ Catholicæ fidei per omnia conformem, ita duris pectoribus emolliendis ad compatiendum Chriſto Domino noſtro valdè accommodatam. Proinde vt typis poſſit euulgari, do, & concedo facultatem.*

Ad Lectorem.

INtuere, quiſquis Chriſti ouis es, quæ pro Te, Paſtor Paſtorum Chriſtus IESVS patitur. Non eſt dolor, ſicut quo cruciatur, ad te, paſſis in cruce manibus clamat, gemitq́ue fruſtrà, qui pro te moritur. Vide pœnas, quibus afficitur; vide clauos, quibus confoditur, vide lanceam, quâ barbarè admodum cruentatur. Vide, & ſimul audi, ad ſingula tuorum ſcelerum proritamenta, inclamantia diductis foratibus vulnera. Quod ſcelus eius? quæ noxa? quæ cauſa mortis? quæ occaſio damnationis? Tu certè homo cauſa doloris eius, tu culpa occiſionis. Tu paſſionis liuor, cruciatuum labor, vulnerum inflictio, mortis pœna, vindictæ iocus, turpeq́ue flagitium. Et iam tenebis hic amans fletum? iam videns tot virgas, tot ſpinas, tot pretioſi ſanguinis fluenta, non liqueſces in lachrymas, vt ſole medio niues, ignibuſq́ue glacies? Dura glacies, ſi non diffluis ad hos cruoris ignes; ad cuius tandem flammas, radioſq́ue liqueſces! Amare IESVM, & in dirâ illius laceratione non flere, barbarum eſt, belluinum eſt, humanum non eſt: Siſtere lacrymas in tam atroci vulnerum hiantium numero; à duriſſimis rupibus, non ab homine ſperari poteſt: immotum ſtare, ad iſtius contumeliæ, dolorumq́ue exemplar, eſt feritate truculentos vincere pardos, draconeſq́ue. O Lector, rabioſi vrſi, leoneſq́ue; maiori pauore hominum, quàm labore cicurati, obliuiſcuntur penitus feritatis ſuæ,

 tis ſuæ,

tis suæ, quando horrendos iúbarum suggestus, tremendosq́ue linctus, ad vlnas custodum demittunt, & eorum securos adulantibus linguis adlambunt pedes: à te, qui Christi ouis es, absit hoc malum, vt ad tanta Pastoris tui tormenta, doloresq́; aut Caucaso durior obdurescas; aut gelidæ afflatus veneno Salamandræ, nullis feruentissimi sanguinis ignibus, soluaris infelix. Vale, & viue; si prostratâ in cruce salute, Vitâq́ue tuâ, valere, & viuere potes. Ergo dole, & quæ diebus lacrymarum de Patientiâ patientissimi Pastoris nostri, ad clepsydram humanæ patientiæ, dolorisq́ue gemens inter subsecivas horas repeto, lege, quisquis es, patientissimè, memor illius D. Thomæ *in opusc. de Ven: Sacr.* In Christi passione quatuor cogitãda sunt, scilicet: Dilectio eius, reamando: Amaritudo eius, compatiendo: Fortitudo eius, aduersa patienter sustinendo: & Vtilitas eius, gratias agendo: quâ certè efficies memoriâ; quod signum crucis à te expellet exterminatorem; si tamen cor tuum, Christum habebit inhabitatorem: cùm & ipse Diabolus, in virgâ crucis transglutiens carnem humanitatis, transfixus sit hamo diuinitatis. Iterum Lector, benè sit Tibi.

ORATIO.

ORATIO.

ERumpe, erumpe tandem, inter graues gemitus moriente Bono Pastore, parentalis dolor! Erumpe ex oculis, ex ore, ex manibus, totoq; corpore. Erumpe sine Rhetorum fuco, sine Mercurij talaribus, sine iusto periodorum ambitu, sine arte, sine lege, sine plausu erumpe, erumpe dolor! Ne timueris indecorum esse numerosæ eloquentiæ, in tantâ rerum creatarum confusione, orbitateq; tristissimâ tumultuari, tumultuante iam Proditoris, & Vrbis scelere. Gratus erit verborum periodorumq; tumultus omnibus; qui sciunt, innocentissimo Christo, pro mundi salute, armorum dolorumq; tumultum, fuisse gratum. Quanquam, qui gratus esse potuit, quo gliscente, inaudita sæculis creatis apparuit metamorphosis; dum basilica Pontificum, facta est mercatus: principes Sacerdotum, emptores: licitator, Apostolus: & caput Redemptoris, merx, & merces perfidiæ. Manete iam in cœnaculo lætitiæ, vel ex eo inuisæ, quòd non sitis mœrores, quibus ampla potestas data, non comitandi modò Pastorem optimum, sed in eum quoq; vsq; in delicias sæuiendi. Qui ecce iam surgit à cœna, pransurus in cruce eò sapidiùs, quò exsudans incocta scelerum nostrorum, melius ad lucem decoqueret edulia. Priùs tamen ouibus vbere in loco, quia in oliueto, ad vmbram vesperi, circa fluenta sanguinis; in-

tra è discipulis sepem; paciscitur pabulum bonus pastor, nec frustra promus Christi proÿcit argenteos, agri pretium. Fateretur candidè magnorum secretorum particeps ille, & oculatus vbertatis testis ternio, nisi mallet fortè dormire, quàm Præceptorem videre aut timentem, aut in acerbissimâ fatiscentem agoniâ. Auellitur à suis ouibus Bonus Pastor, quantum iactus est lapidis; nimirum ostendens, quàm enixâ laboret operâ, dum illud compaginatum ex auro, argento, ære, ferro, & argillâ, sceleris comminuit simulacrum; è Virginis vtero, tanquam lapis è monte diuulsus in stabulo; deuolutus per Caluariæ collem, & delapsus in tumulum. Sanè quidem auelli oportebat vigilantem excubitorem, omnesq; lustrare aditus, quibus assolet lupina in ouiculas ferri esuries. Et est iam aliquid, quod vigil hic fidelissimus turbetur, mens illius beatissima pauore, tædioq; tabescat; & affixum terræ Angelorum gaudium, tristissimè gemat. Nil sed agis, clarissimum pectoris cælum inumbrans, sæua nox animi; en ex te prima lux oritur, & verè purpurascit Aurora; non solis, sed sanguinis. Tum, quàm ei gratus ille Angelus, mœstissimi doloris non socius, sed nuntius: qui solus respondentes sceleri luit pœnas, cuius expiandi sibi sumpserat partes. Verè gratus, etiamsi paterno de calice truculentam propinat mortem, millies, diuini è voto, humaniq; amoris, morituro: quia suas ille cælo inferre volebat ita delitias, ita lupo auferre Stygio, ita Patri deferre æterno.

terno. Tu tamen futuræ præsagus laniationis, ô admirande sudor, è toto Pastoris laboriosissimi corpore defluis in terram; quam salutari non prius medicares rore, nisi lata sceleris viarum abundè proluēs, palantes oues in arma, vndantemq; arenam euocares: vt si fortè cruorem calcantes lubricum ceciderint, fiant præda, & amor eius, quarum ille causâ, iam præda est mœroris, mortis exemplar. Quidni sanguine innoxio terram extergeret Pastor; quam pronus in faciem iacens, videbat omnibus incestam sceleribus, atq; immerentium cruore contaminatam, ac per omnia pestilentem ouibus. Atq; hoc factum subito, vt mirando sudoris panchresto placata humus; linguam, inde vsq; à primo in vindictam fratricidi exsertam, retraxerit; alterumq; contra diduxerit os, ad veniam erratis mundi, vitamq; morbidis impetrandam. Itane verò Vir Dolorum, ita decuit calamentosos elui hortos? ita delitiosum instaurari mundum, vt Tu Orbis deliciæ, teipsum destrueres? An non erat aqua lacrymarum, quâ mundum emundares immundum, nisi è tuâ carne mundissimâ effunderes cruorem, simul & vitam? Verè pluuium in dolorum vbertatem corpus. tantos in emundando horto si effundit torrentes, quantos (putamus) integrum caput Angelici intellectus, in Caluariæ culturâ, eructabit fluuios! Oriente sic sole nostro, grandis certè puri sanguinis cataclysmus erit. dicerem, ruptis cataractis cæli; nisi scirem, diuinitatem veluti cælum, tumētibus velari nubibus,

corpore, & venis. Dico liberè: nullus filiorum cernuus toties orauit Patrem adeò intentè, vt merum sudaret sanguinem; nec Patrem, vno hoc, fuisse quando inexorabilem. Proh exorator constantissime, non possumus propriè rei, tecum vnâ vigilare horâ, qui iugi sub scelere; peruigiles, insomnesq; perpetuamus. Næ ille apostata infelix Apostolorum increpat socordiam; qui nocte illuni, & intempestâ discurrens, lymphatam perturbat, in exitium sui Seruatoris, ciuitatem. Contra quam, eiusq; faciem, resoluti dormitatoris gladium, non tamen mouet ille, qui fatalem prouinciam suscepit solus, tam pro Iuda perfido; quàm pro mundo ignauo, irato Patri, optimus Filius, pro nequam fratribus, suo capite satisfacere. Sed hem patrandi sceleris ductor emeritus, satellitio palatino, & Prætorianâ stipatus cohorte, inermis ipse, armat furentium Principum obsequia: nec suo fidens furori, insanientium militum vrget furorem, dum ori sacrosancto sacrilegum os admouet, & tesserario Dominum osculo petit; hoc est, inspirat in faciem vitæ, spiraculum mortis. Ergo inermis Pastor, ab armatis capitur; innocens, à nefarijs ligatur; & Princeps æquitatis, effusæ plebeculæ triste fit ludibrium. Cæditur ad necem fustibus innocentia; mergitur in Cedrone onusta catenis libertas; raptatur viarum per strata humanitas; sistitur iniquitati integritas; & quidem rea, sed nimiæ charitatis. Atq; ita cessit insaniæ, sapientia; sceleri, virtus; impietati, probitas; lex, iniquitati,

tati; maiestas, contemptui. cui Petrus in Malcho dum resistit, potius Magistrum offendit, quàm defendit. Parcite Apostoli; dum lupis famentibus Agnum Dei laniandum reliquistis: aut non Pastores, aut certè Mercenarij tunc fuistis. Hæsit ille iam, Mundi victima, non inter vepres, sed inter verpos, libaturus Deo sanguinem, & vitam. Est mihi, nocte illâ, quâ Deum in carne captiuauit homo, nullam flagitio fuisse magis amicam, aut quæ perituro minus egeret lumine. Scilicet grande illud Vrbis incendium Iscariotes, omnes verbo & exemplo, flammabat angiportus, omniū flagrantia implebat odia, merissimus ignis, & flāma; sed gehennæ. Etiam debuerat Annas, domi suæ summū habuisse Pastorem, nēpe vt tanto disceret à Magistro, petulanti præesse familiæ. Grande nefas, in domo Pontificis, summus Pontifex; theatralis veluti scurra, percutitur alapâ. Et tamen, dum eius vrget causam, ignominiosè violata innocentia; Annas silet, non audit verbero, vt tamen audiret, aurem, quam Petrus absciderat, ei paulò ante aptauerat. Eheu! fit impudens manus in ipsâ sede pudoris, & quæ olim fidelitatis erat symbolum; fit repentè in ore, vel potius in arâ fidei, nota perfidiæ. O verè sinistrum dexteræ plaudentis obsequium! nisi fortè, ni hoc in oculis Heri sui fecisset, fecerat illa nihil ad risum Pontifici; ad fidem periuris testibus, mundo ad salutem. Sed benè est, benè! liber erit nostrarum animarum seruus, manu mittetur, ciuis erit. Percussus enim alapâ, ducetur

 omninò

omninò in prætorium, vbi vindicta, & pileus; ciuiū inscribendus albo. Profectò manica illa ferratilis, criminibus nostris fuit lentata, sceleribus malleata, incude facinorum exasperata, ignibus concupiscentiæ, veluti fornacibus, temperata: Facies verò mitissimi IESV, amoris erga nos nimij capitolium, verecundiæ theatrum, benignitatis arena, innocentiæ sedes, ara votorum, portus Angelici intellectus, & augustum diuinæ sanctitatis templum. Illa certè nihil horum exhorruit, quia ferrum erat; ista, sacrilegæ manus diram sensit grauitatem, quia Christi erat. Atque iam, ô bone Pastor, tam atroci alapâ cōuictus es criminis, nimirum, quòd oues æterno dignissimas odio, fueris ausus ferre in oculis. O quæ non tolerat! ô quid non patitur miser amator! Enimuerò, valentissimus hic ictus, & planè seruilis cōtemptus, futuri gradus erat cruciamenti; atque eò maioris, quò crudelius furor sæuire solet in iura, legesque humanitatis. In execrabili Principis Sacerdotum domo, blasphæmus proclamatur ille, sub quo professore, arcana cælestium secretorum, mysteriorumque Dei, didicêre Prophetæ, nec alium Veritatis Magistrum orbis habuit: ille inquam Sacerdos, à quo regali titulo Sacerdotium à terra sublimatum, augustam in cælo gerit maiestatem. Imò & colaphis cæditur ibidem, vbi Petrus peierans, cælosque contestans omnes, à Principe tenebrarum depalmatur; stupendâ reuera percussione, quæ malas Christi, & mala Petri, simul aggrauauit. Iamque illa glacies igni indurata focario,

focario, diuinissimis oculorum flammis, vsq; ad amarum soluitur fletũ; & galli magisterio, Magister Ecclesiæ foras egressus, ingreditur Metanææ domum. Istactenus furor in contumelias effusus lusit, & bono illusit Pastori. Seriò tandem scelus aggreditur. Trahitur per flagitium ad Prætorium, qui in crudeles spontè venerat manus. obruitur falsitate, silentio se tuetur, vt qui Magnum verbo fecisset mundum, taciturnitate Paruum reficeret, & compendiariâ iniuriarum tolerantiâ, res creatas in mundi compendio recrearet. Sensit Iudæ fraudem cœnaculum, vidit hortus, excepit osculum, audiuit prætorium, derisit templum, puniuit restis. restabat quippè, vt penderet ille ab infelici arbore; qui pendere noluit ab ore diuinæ sapientiæ, nec adhærere primæ, & vltimæ felicitati. Nescit restingui, semel accensus furor. iungitur amentiæ; quæ regales ante obtutus, incomprehensibilem sapientiæ, & scientiæ Dei altitudinem, germanam suam indigitauit: sapientumq; Principem, albâ intexit veste, ridendum vt mutum ad aspectum; irridendum vt stultum ad satietatẽ. Atra nimium dies, quæ laruato candore in aulis relicto, verum pepulit: & veste albâ inde exclusâ, monitorem extimum, intimi eiecit candoris. Quare victima redditur iterum debita Prætorio, quam prius furor excipit, quam videt Prætor. Certè nihilo omnibus & iste melior; quando, vt misericordiam reo conciliaret, verè miserabilem fecit. Adsunt, iudicis ex imperio, lacertosi virgatores, vestem vnicâ;

quam

quam Bono Pastori, ad partheniam nuditatem contegendam, profusa in oues, prodigaq; charitas reliquerat, detrahunt: nempe ei, qui cælo, sidera; mari, belluas; terræ, superbam pro dote reliquit fecunditatem: nempe ei, cuius nutu frutices inoculantur, folia formantur, germina inflantur, flores inornantur, & post spolia, annuatim vestiuntur: nempe ei, per quem omnis arbor à radice promota, grandescit; omnes vites, hederæq; sequaces, textili syluâ implicantur; omnis mundi vniuersitas animatur; detrahunt tamen, & ad columnam, columen mundi, crudelissimi flagriones obligant, sæuiunt verbere, lacerant, & valido brachiorum nixu, verè supra dorsum Domini peccatores arant. Cessate, cessate nequissimi criminum coloni, campus iste virginei corporis, non vestrâ est sulcandus manu, sed Virtutis altissimæ. vt quæ in Nazareth prima, cælesti hoc nauale tentauit aratro, metat & vltima. Hic, si nescitis, ager est Virginis, non virgarum. Vtinam & tibi Bone Pastor, in Prætorio Romani Præsidis, ad seruilis lanienæ declinationem, liceret vocem illam ingenuam, & compluribus salutarem vsurpare: Ciuis sum Romanus! Sed nolebas aliter maledictam expiare terram, nisi dissipasses virginem istam tui corporis. dicerem liberè terram; sed hæc habet pænas inferorum in corde, tu præmia beatorum. Nolebas aliter sitibundas adaquare oues, nisi sanguini, & morti mille aperires ostia. Volebas vt in illo terminali saxo; quod inter Deum, & hominem surgebat,

stylo

ſtylo hominis inſcriptus, atq; inciſus eſſet Deus. Rediuiuus profectò Iacob, ſi quas in augmentum ouium, vt ſeparabiles in eis apparerent maculæ, variauerat virgas, merſiſſet in ſanguine. Fecundi amorum, dolorumq; matrices oculi, ſi non extabeſcitis in lacrymas, quando diuini corporis niues, prodigioſi furoris æſtu, ſolutæ ſunt in ſanguinem: nouam, noui Regis inaugurationem, ſpectate. En ecce iam, eripitur hora crudelitati, datur clementiæ. Religatur à columna Bonus Paſtor, induitur purpurâ; deducitur ad thronum; coronatur; ſceptrum manu premit; Regibus per omnia ſimilis, ſi hæc proludibrio non abirent. Purpura quidem, inſigni & piâ commiſeratione, ſæuiſſimis oculis eripuit Regem, ne ſi fortè partem aliquam virginarij corporis intactam aduerterent, in eam nouis ſæuirent plagis. at pompæ reliquum planè iocus atq; dolor, & digno ædile, indigniſſimæ ludus crudelitatis. O quàm & hîc illi nocuit tortorum ſæuitia, in quem vel ipſa Præſidis clementia crudelis extitit. Pactilem è rubo acuminatis acerbè cuſpidibus formidabili, coronam tenerrimo capiti, grauiſſimæ carnificum manus, ſilueſtri planè imprimunt feritate: aut niſi dixeris, ouium quieti, densâ conſulunt ſepe. Malè ſcilicet ad eam immanitatem, ſilueſtribus è latebris mitterentur belluæ. Nam eæ, Paſtoris ad pedes, rictu placido ſe proijcerent, laniarent oues. Dolorum Regi, Rex fruticum debebatur. Aridus ille planè, & mortuus viuo inſedit vertici, ſed ſubitò vitam tum primum

viuere

viuere cœpit, mirandâ quam vsq; habet, indutus viriditate. Luxus etiam prauæ adolescentiæ, rosas antequam marcescerent, in suam præcerpsit coronam, solas coronandæ innocentiæ spinas, in pratis relinquens. Cur tamen, ô spinæ, diuinum caput non petistis viridantes? cur aliquo præclaro decori flore? facilè vestri piam rigoris causam interpretor: frustra occurrisset aliorum emendicata pompa florum, vobis vno, satis erat efflorescendum Deo. Satis superq; diuinissimi sanguinis rosas potuisse progerminare. Nunc verè, si vnquam alias, verbum Dei cecidit inter spinas, quin & secus viam, dum à vilissimis lorarijs conculcatur: quin cecidit & in petrā, hac vnâ, viribus exhaustus, tortores liberans fatigatione, ne sedentem vix tenerent se, simul & cruciarent. Sentes ipsi immanem spartacorum immanitatem horruerunt, atq; nolentes tristissimum cruentæ tragediæ spectare epilogum; pars in cæsariem cruore concretam; pars intra cutem diuinissimam, pars serratas cranij perrumpendo commissuras, intra Sacrosanctum cerebrum, sese absconderunt. Carnifices illos rabiosissimos, neq; dilacerati artus, neq; contusæ genæ, neq; sputis deturpata facies, confossum caput, delibrati humeri, nudata ossa, & viscera permouent: aspiciunt plagas vndantes sanguine; & eò magis, vt Luca bos ferociūt. Atq; nescio, quid iam tortores constantiùs agunt, an verberant Pastorem, an ludificantur. Nam oculos etiam eius, culinario quopiam mantili obuelant, quasi eorum aliquem, ad

vindi-

vindictam cædemq; notare vellet, non ad nimiam charitatem. Quin & arundinem manu tenere instant, vt è re natâ, commodius adorare per ludibriũ, amarisq; deplere sannis aggrederentur Regem dolorum, qui magna vmbra iam hominis erat, nulla Regis. Ita vos superbissimi terrarum Domini, leuissimæ labore Fortunæ, vix à terra sublimati, & vulgo; humanitatem & clementiam exuitis, & pro his, vndiq; diuitijs per iniuriam partis coronati, sanguinariam induitis crudelitatem. Vnde vobis, & pro sceptro leuitas arundinis est, & assentatoriè potiùs vobis illuditur, quàm verè seruitur à satellitio. Iterum arundinem, è manu sedentis, eripiunt bustuarij mirmillones, eâq; premunt horrendè tempora, quæ Regi temporum, ipsiusq; adeò æternitatis Domino, spinis paulò ante oppresserant turbinatis. Immò & purpuram, quæ hiantibus accreuerat vulneribus, bacchatim detrahunt, & ferè peiores, prioribus instaurant dolores. O quàm multi cruciatus in vno! ô quot vulnera in vno! quot mortes in vnâ! Erat & hoc, pro militum rapacitate, perferendum Imperatori supplicium; cuius capite, nisi iniquæ exoluerẽtur prædæ, in caput Principum, à quibus sæuire in fortunas plebeculæ, sæuam communicarunt potestatem, redundarent. Iamq; in toto Pastoris corpore sanguis non est, & in facie, facies hominis non comparet. Credat qui vult Præsidi, Hominem esse hunc dicenti; ego non credo, quia vermem, non hominem video, opprobrium hominum, plebis abiectionem.

nem. Quod si omnino hic Pastor homo est, stupendus certè est Homo, quia simul DEVS; *solusq; & vnus eâ re, inter homines hoc titulo dignus:* Ecce Homo! *Frustra habetur hoc commentum clementiæ, frustra torquetur ingenium, in præsidali pollubro, maculæ animæ non emaculantur, & in cœlo, corde hîc reclamante, lingua non auditur præco innocentiæ. Ad extremum, iniquo Iudici, impij accusatores legem imponunt, & timor stulti Præsidis, fit mors innocentis. Ergo ignominiosa crux imponitur semimortuo, vt prius insano pondere sui cruciatus premeretur, quàm opprimeretur à dolore. Ducitur postmodum, ex illo improbissimæ derisionis suggestu extra vrbem, Consul orbis; omnia bona sua secum portans, hoc est, Crucem, & vulnera. O amor, quæ non imperas Creatori nostro, etiam iubes cum filijs hominum, in arundine longâ Deum repuerascere, & sub luce populi, equitare per vrbem in cruce! O amor, esses maior ipso Deo, si posses aliud esse à Deo. Apage Cyrenæe, sola hæc humeros coactos crux detestatur, iste porrò, cui ad succollandum eam adiunctus es, fultura cælorum est, terræ fundamentum, aquarum basis, & sub quo curuantur omnes, qui portant orbem. Pulsus in exilium Pater Patriæ, longinquam, quia mortis, properat in regionem, atque locum votorum suorum, montem, cui nomen Caluaria, hoc est humani generis vertex, indiderat superbia, ascendit ille, qui caput est hominum. Vel potius, iam est in specula, speculum ouium, Bonus*

Pastor,

Paſtor, & ne ſolus excubitor, lateronibus, & ſimul latronibus interiectus, vt qui ante vno fuerat peior Barrabâ, duobus iam eſſet inſignior. Funeſtæ Cruci ſuffigitur citò, ne prius aut ille, aut furor deficeret. Affixus, in ſublime tollitur, & in medio mundi totius, ac puncto linea felicitatis humanæ committitur, inſeriturq; in ipſo terrarũ corde, cor cæli. Modò verè medius noſtrum ſtetit, quem neſcimus, modò verè primum, cælum inter, & humum, homo penſilis; Dei & hominum factus mediator. Iamq; hæret exſanguis, confixus in ſtipite ſempiternus, atq; immortalis D E V S, *aut ſanè votum ab Amore, pro Mundi vitâ, in manibus Miſericordiæ conceptum, iam eſt ſuſpenſum è tholo crucis, & infinitæ redditum iuſtitiæ. Mirabile! in ſupremo vitæ, mortiſq; confinio, cùm vel maximè ſummâ vexatione corporis torqueretur, tum vulnerum dolorumq; oblitus, excuſat carnifices, quos grauiſſimè accuſare deberet, quaſi nutriens catulos, qui ſe laniarent. Etiam, fortè vt Mundo pro eius præbiberet noxis, clamat de ſiti, & ſilet de cruce, quæ peior eſt ſiti. Crudele poculum, in quo noua vitalibus tormenta propinantur, & verius tortorum, quàm boum fel in vino bibitur, atq; vt verè amara eſſet mors, inungitur hyſſopo. Tandem conſummatum eſt opus miniſterij Paſtoralis. Paſtor verò inclinato in pectus ouium ſuarum capite, exſpirauit in corde terræ, cor Mundi, ſecurius cor noſtrum, Dei templum, ſed exinde ſpeluncam latronum aditurus. Proh, quantum iſte*

nocti concolor dies, qui Mundum & suo scelere, & Domini funere laborantem, tenebris operuit, mutatus ab illo eodem die; qui nascentem olim terrarum orbem, euocauit ad lucem! Vt illa pulcherrima rerum creatarum facies, in mœstissimam deiecta confusionem, erupit, in funestam arborem, vitæ lignũ; in scelus omnium, summa innocentia; nam qui olim fuit vniuersorum vita, iam est mors. Nouum reuera salutis genus, vt Mundus viuat, Vita mundi perimitur. Denato, exanimatoq; Sole iustitiæ, turba latè circumfusa, in miserandum cadauer insaturabiliter intuens, vndiq; stetit; vt quæ clamantem in cruce derisit imperatorem, amariùs certè derideret morientem. Sed è voto Parentis sui, Natura diem crudelitati eripuit, terraq; crebris hausta hiatibus, malignum hiscere ingenium, non permisit. Lucere puduit Solem, dum æternus splendor insuetam passus est eclipsim, nec amplius, ordo animarerum, in orbe comparuit. Mucidis è sepulchris prodibant iudices mortui, viuorum condemnaturi crudelitatem; humanis durescentibus cordibus, mollescebant saxa, & in ima terræ viscera, cadẽte fundamento, penetrauit ruina. Seruator porrò Vniuersi, ne tumultuantem vltra videret orbem, oculos, quibus vulnerabat corda hominum, clausit. Sed non clausit oculos corporis lacerati, quib. vulneratus est, immò aperuit oculum cordis, aquâ & sanguine lacrymantem, vt testis oculatus esset, & suæ charitatis, & nostri sceleris. Suspendiosos lugeri vetabat

bat lex Romana, prohibebatq; supremo officio, & honore sepulchri. Præses tamen, qui lege Quiritium in cæde Christi fuit immanissimus; in eiusdem funere, immemor legis, extitit valdè pius, ac duobus illis viris pecuniosis, nimirum Decurioni nobili ab Arimathæâ, & alteri facile inter suos principi; pollincturam, & tumulum Archipastori, magnâ cum sedulitate adornantibus, nimium beneuolus. Negare neq; inuisus funerum arbiter, cruciario poterat funus, qui funus eidem prius lotis manibus comparauerat. Parenti Virgini mœstissimæ, cæteroq; inopi concilio, ad humandum ex more gentis corpus, tam multa deerant, quàm supererant lacrymæ. Quære, quod in summis luctibus accidere solet: Mater dolentissima, oculos à Filio; Ioannes stupore defixus, à Virgine non auertebat; Magdalena crucem complexa, hærens attonita, intuebatur in vtrumque. Igitur Numinis instinctu excitati, veniunt in Caluariam sandapilarij, & pollinctores, duo illi summates; linteo, aromatis, vnguentis, institis, omnibusq; sepulturæ necessariis optimè instructi. Et primo familiam illam, inter insanientium ludibria militum, gnaram amoris, ignaram consilij, aduentu suo erigunt in animos, postea recreant. Ergo vnà funereum omnes vrgent opus, sacrum è patibulo diuellunt cadauer, ne qui patris imperio crucem ascenderat, ex eadem nisi alieno concessu, & operâ descenderet: vnguentis curiosè corpus imbuunt exoticis, vt cuius illecti odore currebant viui,

currerent & mortui: obuoluunt candido linteo, byssinisq́ obligant institis, quiuis vt intelligeret, ad diuina eiusdem funeris, veluti repotia celebranda, conscientiam candidam, & catenatos requiri sensus: in hortum inferunt, veluti campi florem, ad iucundiores breui rediturum comas: in sepulchro alieno, inibi excauato, & quidem nouo, ac Virginis vtero simili, quia nullis antea cadaueribus inquinato, corpus iustis absolutis componunt, vt aliena, non sua morte defunctum sciret orbis. Quid verò etiam Mortis detriumphator gloriosus, proprium haberet sepulchrum in terris, qui inaccessum diuinitatis solium habebat in cælis? Ad extremum cælo vesperascente, dum omnia iam ad gratiam fecissent demortui, ducunt funus, & admoto grandi ad ostium lapide, monumentum claudunt, apertis quàquauersus oculis, in grandes lacrymas; cordibus, in graues dolores. O magni viri! ne in hoc officio, dum vestra domi manet pietas, aliqua magnificentiæ linea transiliatur, liceat, pace vestra, obsecro, dolentissimo Dolori, hæc subitariè muto incidere saxo, Epitaphia.

I.

Hic Leo sopitus dormit. Quid carpere callem
Horres? iste Leo, est blandulus Agnus idem.

II.

Isto Sarcophago recubat Sol clausus. In orbe
Horrida, quid mirum? si tegit vmbra solum?

III.

III.

(& orbis,

Lingua Prophetarum, mens Regum, Doctor
Mundi pax, ouium Pastor, amansq́; Pater;
Terrarum Dominus, via cæli, dextra Tonantis,
Cælestis medicus, mortis & exitium,
Conditur hoc tumulo. Miraris cuncta viator?
Ne mirêre: DEVS conditur hoc tumulo.

IV.

Sta, mortem quicunq́; times, hîc vita quiescit;
Si properas, moreris; ne moriare, mane.

V.

Conditus hac hominum Soter requiescit in
Soterem potuit, crede, necare scelus. (vrnâ

Bonus Pastor, animam suam posuit pro ouibus suis, Mundi Redemptor, occisus est, DEVS in cruce obijt. Innocentia condemnata, Iustitia prostrata, Sapientia in stultitiam versa, gloria cæli & terræ, in risum & ludibrium abijt. Corona capitis nostri cecidit, Fortitudo defecit, Vita nostra mortua est, quid facimus? Adeste dolores, toto ex orbe mœstissimi, atq́; in oculis hominũ, si qui adhuc sunt, velut in labris quibusdam, calentes abluendæ cruci, clauisq́; trabalibus, adferte aquas. Nil furcæ turpissimæ, cum thesauro sanguinis preciosi, cælesti ab ipsamet crudelitate, recondi debet Capitolio. Adeste oculi, si qui vulnera, vibices, reluuia, mortemq́; atrocem non exhorrescitis, adeste; & contemplemini Creatoris vestri caput, diuinâ maiestate perillustre;

illustre; pugnis, fustibus, lapidibusque à vilissima fæce plebis, immanissimè contusum, atque vulneribus septuaginta duobus, cribri ad instar, fistulosæque spongiæ perforatum. Contemplemini auream cæsariem decoram, balsamæisque venustiorem comis, à seruulis sordidulis ludibriosè partim euulsam, partim disiectam & dissipatam partim, quod sanè est ad lacrymas miserrimum, fætenti luto, sputisque incoctis oblimatam, aut sanguine in stirias egelidas concreto squallentem. Contemplemini frontem, imperiali daphnide, & augustissimo Regum omnium diademate dignissimam, vepribus hamatis, & ad grauius tormentum ab impiâ naturâ cuspidatis, crudelissimè dilaniatam, vibicibus tumidam, tuberibus inflatam, liuore vulneribusque plenam. Contēplemini oculos Sole gratiores, viscosis crapularum eructaminibus horridos, neque in sanguine modo, quod vtique tolerabile esset, verùm in prærancidis fæcibus, ab hominibus trioboli demersos, & planè ceu liras campestres suffosos. Contemplemini faciem, vernans olim rosarum liliorumque pratum; pudibundi ostri, purpuræque verecundæ matrem, nunc exanguem, glaucinam, turgentem, liuidam, laceram, deiectam, buxeam, & inauditâ vernarum petulantiâ, ad horrorem deuenustatam. Contemplemini nasum, sudibus præustis concussum, luridum, tuberosum, & concreto sanguine intus, & extra suffusum; barbam vnâ reuulsam parte, altera euulsam: dentes hos infirmatos, illos excussos: labia retracta,

& ri-

& rimosa, vinumq́ felle amaro à lorarijs dilutum, ægrè admodum stillantia. Contemplemini manus, pedesq́ clauis ferreis perfossos, latus immani lanceâ traiectum, excoriata membra, luxatos artus, venas vel nimium inflatas, vel calamitosè ruptas, totumq́ corpus, nihil miserandum in modum ostendere, nisi inuisa orbi, & infleta ludibria, inauditas lanienas, & deuiscerationes; indomitorum equorum calces, famelicorum luporum morsus, rabiosorum canum vulnera, mortiumq́ atrocissimarum mille & amplius, patentia ostia. Adeste pigræ animæ, ad sepulchrum Magni Pastoris, adeste; & velut præficæ mœstissimæ, spargite suarum crines passionum, sinuosas cordium lacerate vestes, & ad lugubres threnos, exululantia soluite ora; atq́ vt vobis mos, dicite singultantes:

Optimus altâ de cruce Pastor
Pensilis alget, nulla bidentûm
Funus adornat, nulla gemitque.
Pendet Soboles vera Tonantis,
Vranopolis, ah! vera corona:
Nullus ab astris penniger ordo,
Moritur quando Dominus cæli,
Volat, & seruam porrigit aurem.
Moritur Natus miseræ Matris,
Similem nobis obit & vitam:
Propera plorans, hominem quisquis
Homo cognoscis, noscis & hostem.

In cruce paſſis humeris pendet,
Boreæ triſtis iocus, & Cauri,
Fluitant crines ludibrium Auſtri,
Lege nec vllâ barba quieſcit.
Concutit artus languor, & ægro
Rubor in vultu, maculas auget.
Madet effuſo ſanguine totus,
Ruptoq́; fluunt chomate venæ,
Hiat effoſſum latus, ac lympham
Fontis ad inſtar, ſanguine miſtam
Ructat, & almo rore decuſſim
Impluit altam triſte cadauer.
Genus infandum, modus & leti
Inſolitus, quo moreris Magni,
Nate Tonantis.

Ad catenam.

Ferrea, quid Chriſti conſtringis membra, catena?
Non ſatis à Mundi, vinctus amore fuit?

In Chriſtum calcatum.

Quo poſſes cælum conſcendere tramite, neſcis:
Strata Via eſt Chriſtus, ſub pede carnificum.

In flagra.

Flagra, ſtylus mundi: Chriſti quoq́; membra, papyrus:
Debuit hoc ſcribi vepre, ſtupendus Amor.

Ope

Ope Titanis niue depulsâ,
Procul à Vestæ gremio, postquam
Redit in Mundum floriferum ver:
Vt cum Zephyro flante colonus,
Findens valido vomere glebas,
Fert per medios chalybem vermes:
Euulsa patent rudera latè,
Dolet effossis Diua thesauris
Tellus, in omni diues agello;
Seu sint lilia, violæ suaues,
Rutilans aurum, gemmea turba,
Virgatus onyx, redolens ambra.
Rigent auersis aspera sulcis,
Nec adest vlli decus agnatum,
Spoliatæ stant opibus porcæ,
Hinc humus atro syrmate squalet.
Sic tua IESV, decus olympi,
Amor & Patris; iacet admotis
Gloria flagris; iacet admotis
Formaque virgis; iacet admoto
Vitaque ligno. Genus ô nequam!
Humeros IESV, placuit crudis
Scindere virgis, placuit ligno
Figere in alto. Quâ scelus arte
Hocce piabis?

In Purpuram.

Purpureâ Christũ, quid Præses, cyclade cingis?
Si totum proprius purpurat ecce cruor.

In Co-

In Coronam.

Vertice perfosso Christi, nil sanctius actum;
Non poterit scelerum, sic meminisse modo.

In Arundinem.

Gens recutita sacram depleuit arundine dextram:
Mitius vt posset terga ferire hominum.

*

Scidit Atræo verbere lictor
Corpus IESV: clauus acuto
Nobilis ictu, transijt ambas
Manus, & plantas, lancea costas
Rupit, & ipso vulnus in ore
Cordis apertum sedit, amata
Quando cadauer vita reliquit.
Immane scelus, potuit tantum
Audere nefas genus ingratum?
Hæc CHRISTE tuis debita factis
Gratia præsto? Genus ingratum!
Immane genus, genitum syluis,
Interq; feras, lacte ferino
Te lea pauit, vel lupa torua.
Adeo nunquam catulis vrsa
Furit ablatis; leo nec fixus
Sicilâ, iactat fera sic colla,
Quando rabidâ premitur bile.
Similis nunquam draco, dum legit

Flexile corpus, tremulam in ſpiram,
Pede non cauto ſi quis in antrum
Forte cadit, proſibila ſtringit
Ora celer, flans tumidam & peſtem,
Inficit artus: quantum homo IESV
Sæuijt in te.

In Strophium.

Obtexit CHRISTO clariſſima lumina tortor,
Amplius haud Mundi crimina conſpicient.

In Veronicam.

Talis erat CHRISTVS, malo figendus in altâ!
Hunc nobis vultumpinxit at ore ſuo.

In Malleum.

Inſontem CHRISTVM, quid mallee ſtipite figis?
Si inſontem figis? fige reumque ſimul.

*

Tenerâ parent pelle reſectâ
Viſcera, pulchro caſſa cruore.
Et parthenium verbere corpus
Lacerum, diuo tincta cruore
Oſſa relinquit, trucis ad viſum
Populi, ſi quæ fortè furentum
Pietas iramleniat ſæuam:
Auulſa fero vulnere flagrum
Fruſtra ſequuntur, cæſa per iram
Sulcata fluunt membra cruore.

Disiecta sacræ frustula carnis
Calcat per humum flagrio nequam,
Inuidet orbi penniger ordo
Gemmas, rutilo sidere dignas.
O felices vulnere sulci!
Fæcundatæ sanguine glebæ!
Vos parituræ nobile germen,
Tali vultis pectine frangi.
O fælices vulnere glebæ!
Fæcundati sanguine sulci!
Vos parituri præmia messis,
Tali vultis vomere frangi.
Corda subacta! en semina habetis
Iacta salutis; surgat in astra
Ergo maniplûs.

In Clauos.

Non retinêre polo, clauis retineris IESV
Dicere, pace poli, si licet: Hos mage amo.

In Vulnera.

Lassauit quemcunque scelus, sitit inde; liquorem
Aspice.quam gratum,vulnera quina pluunt.

In Tenebras.

Dum CHRISTVS moritur, subito nox incubat atra,
Fors scelus in Caluo monte latere cupit.

Lacry-

*

Lacrymas nati fundite amaras,
Sipylum quales, Cretaque vidit.
Pater, ah, vester mortuus alget!
Regis superûm funera flete,
Terræ Domino soluite iusta,
Subdita magno corda Tonanti.
Feriant dextræ pectora, cultæ
Iaceant vestes, spargite crines,
Cælestis honor, decus astrorum,
Gaudia terræ, vitaque mundi,
Occidit atro pondere noxæ.
Ille Magister, Pastor & ille,
Medicus, Custos, Ductor & ille
Obijt, dextrâ tenuit qui vos,
Vestijt & qui, pauit abundè,
Torrida lymphis ora leuauit.
Flete puelli, flete pupilli,
Viduæ palmis pectora mæstis
Tundite, stillent lacrymæ grandes,
Intima crebri viscera pulsent
Gemitus; magno tristior æthra
Resonet planctu, repetat orbis,
Quidquid gemitus percipit aure.
Heu, quis poterit robur inani
Dare menti? quis ferre salutem?
Auidas si iam manus iniecit
Parca Genarchæ? funere mersit
Si præcipiti Medicum cæli.

Reus

Reus ingentis facies culpæ
Tu quid homo? vel mente fereris
Quo? vide, largo lumina rore
Cernere si dant humida, CHRISTVM
Tumulo clausum; Madeat nec iam
Lacrymis vultus, rubeat guttis
At sanguineis, alio nequit
Scelus hoc mundi furijs capti
Fonte leuari.

In mortem Christi.

Vita fuit CHRISTVS, cessauit viuere. Vitam
Crederet in ligno quis, potuisse mori?

In Tumulos apertos.

Nil mirum, moriente DEO, patuisse sepulchra;
Vrna illum vt caperet, non satis vna fuit.

In Christi Sepulchrum.

Quæ nunquam audisti, modo plorans cerne Viator:
ÆTERNVM VERBVM, conditur hoc tumulo.

Obijsti vitam, ô dulcis Amor, vt Mundum scelere defunctum, Morte tuâ reuocares ad Vitam: vel potius; abijsti, ô Bone Pastor, ad alias oues, quas in alio numeras adhuc ouili: Nos frustra viuimus, neq; te sequimur. Perijmus planè, si non redis postliminio diues gloriæ, & immortalitatis: & si nos, ô cæli ostium, non recipis; præda sumus inferorum.

Extinxisti

Extinxiſti tuorum lucem oculorum, ô mundi lux, vt delicato luxu exoculatos terræ colonos, æuiternæ luci reſtitueres. Hoc ſi non videmus, ipsâ cæcitate, ſumus cæciores. Obturaſti aures, ô Supreme iudex viuorum, & mortuorum; ne iuſtum apud Te, noſtrorum contra noſmetipſos, clamor ſcelerum, obtineret decretum. Hoc ſi non intelligimus, durata ſaxa ſumus. O Mundi Amor, verè modò factus es Amor: quia cæcus; verè factus es cæcus; quia Mundum amans. Ergo Antabatarum more clauſis oculis; incipe nobiſcum certare amore, certabimus & nos tecum amore, clauſis oculis; quia & nobis:

Eripiunt viſum lacrymæ, & ſine lege dolores.

DE TORMENTIS JESV CHRISTI Appendix Epigrammatica.

CHRISTVS Sanguinem ſudat.

SÆuas lepra faces, ſi cui ſuccendit in ore,
Aut podagroſus habet frigida mēbra dolor,
Deſinat Auſonias pernox inquirere turmas,
Exſudant thermas, enthea membra DEI.
Certa ſalus lepræ ſanguis; ſed ſanguis IESV
Quilibet hoc lotus; ſanus, abitque ſacer.

Oſculo traditur.

Tun' ſacrum, Iuda, poteras contingere vultum
Sacrilegis labris, nauta future Stygis?
Baſia tun' Chriſto poteras, ô vulpio, ferre?
A quo principium, candida facta tenent.
Ardebat, credo, nequam cognoſcere, Chriſtus
Oblatum calicem ſumere num voluit.
Heus, nihil erraſti. cernis prærancida fella;
Vt ſitiunt CHRISTI torrida labra tui?

Comprehenditur.

Nocte ſub illuni, CHRISTVM Solymæa caterua
Sedula perquirit, ſpirat & ore necem,
Et quam-

Et quamuis ſudo, ſuccendit in æthere tædas,
Non potis eſt CHRISTI cernere membra tamen.
Cur id? Sol fuerat CHRISTVS. non cernitur eccur?
Obruit immenſo lumine, Sol oculos.

Ligatur funibus.

Nullus Orontæo ſerûm bombyce triumphet,
Æthiopum iactet vellera, nonq; colus,
Virginis Idmoniæ tenues diſcedite tramæ,
Pro riſu veſtrum, Pallas adunat opus.
Funibus hæc CHRISTI debetur gloria. Magni
Verbigenæ, ſanctos nam tetigêre pedes.

Mergitur in Cedrone.

Tranſmittit Cedron, perfuſus membra cruore
CHRISTVS, in admiſſis concidit æger aquis.
Mergitur in lymphis, gemit & conſtrictus: IESV
Surgito, non hîc mors eſt ſubeunda tibi.
Surgo. ſed hîc cupio moriturus mẽbra lauare,
Ne ſit poſt mortem cauſa laboris, Amor.

Alapam ſuſtinet.

Conſuêrunt manicæ, palmas armare ſtrategûm,
Tu ſed Pontificis labra verenda tegis:

Iam satis errasti, iam desine sternere vultum,
Non hîc, quid faciat tertius error, habet.

Pugnis percutitur.

Crebrescunt pugni, mactantur cæstibus armi,
Fors, vt crux humeris mollius inde cubet.
Non. Sed quid valeant humeri, quid ferre recusent,
Pertentant. Scelerum quam graue pondus erit!

Induitur veste albâ.

Vt vidit CHRISTVM properantem Herodis ad aulam
Fraus; plorans dixit: clauditur aula mihi.
Sed postquam vidit niueâ cum veste redire,
Exultans dixit; sunt mea regna mihi.
Conuocat ergo iocos, sannas, technasque, dolosque.
Legibus æternis firmat & imperium.
Aulica sic CHRISTVM pubes non spreuit; ab aulis
Candorem pepulit, sed malè sana suis.

Flagellatur loris.

Viscera tosta boum resonant per tergora CHRISTI,
Purpureæ subito prosilit imber aquæ.

Lassantur

Lassantur crudi tortores, atque flagella;
Sæuit at ira magis, spumat & inde cruor.
Fælices agri, quos talis nympha maritat,
Christigenûm culmos, non feret ipse polus.

Cæditur virgis.

Virgarũ temerat corpus mala sylua Tonantis,
Vibicibusq; feris membra pudica notat,
Sanguinei sacro stagnant in corpore fluctus,
Latè diffuso Vesta cruore rubet.
Saucia decerpto perierunt pectora malo;
Sanabit tantum, non nisi virga malum.

Purpura induitur.

Obsecro, quid causæ, cur CHRISTO purpura summo est
Ludibrio? laudi; Regibus ostriferis?
Temnere nos vani fragiles docet orbis honores
Ast ambire iubet regna suprema poli.

Coronatur spinis.

Rostra Quirina dabant lauri frondentis honores
Seruanti portas Vrbis, ab obsidio.
Sed Patri Patriæ CHRISTO, pro daphnide spinas
Intrudunt; ita Honor nos amat, hamat Amor.

Crucem baiulat.

Prægrandi ligno, ſacratos ſubijcit armos,
Golgoltham CHRISTVS, dum moritur⁹ adit.
Nec gemit, exſpirans grandi ſub pondere vitã,
Ad iuga ſed montis fert, celeratq́; gradum.
Cur hoc? à teneris, dicunt, aſſueſcere multum
Iſte puer ſchidias, matre iubente, tulit. (eſt:

In Crucem agitur.

Cingite mente crucem, quos mons habet iſte nefaſtus,
Atque nouum CHRISTI cernite Martyrium;
Saucia per longam tenduntur membra decuſſim,
Nonq́ue foraminibus, peſq́ue, manuſq́ue ſubeſt.
Et tamen oppugnat, Paphios proſternit & hoſtes,
Militiæ ſocios, vos cupit eſſe ſuæ.
Ergo agite, atq; Duci fortes aſſiſtite veſtro;
Dedecus egregio eſt Principe, deficere.

Cruci affigitur.

Illane dextra Dei fuerat terebrata potentis?
Quâ fabricante ſtetit Mundus, olympus, Homo?

Quis

Quis tantum poterat clauus? quis malleus iste
Vsqueadeoq; potens, vsq; adeoq; grauis?
Incubat huic dextræ mundus, cælumque, salumque;
Nec tamen hoc tanto pondere pressa ruit;
Malleus incubuit; subito pes rumpitur eheu!
Tamne grauis dextræ malleus iste Dei?
Culparum grauitas fortassis adhæserat illi?
Sic est. hoc potuit pondere dextra premi.

Clauis vulneratur.

Vos quoque fatiferi pungentia spicula ferri,
Scribitis immeritis membra sacrata notis.
Parcite, iam satis est pænæ, satis atq; dolorum,
Sin minus; hæc cordi vulnera ferte meo.
Cælorum claues, si claui frangitis: ergo
Nec vobis locus hîc, nec super astra datur.

Manus habet perfossas.

Quid nutris, mortale genus, pro corde dolorē?
Transfixæ Christo, sint quod vtræq; manus?
Eugecanas potiùs. nam dextra forata Tonantis,
Donorum poterit nil retinere poli.

Pedes fert traiectos.

In Cruce probrosâ, Christi pendentis acutus
Perfodit plantas, clauus vtrasque Dei.

Sed benè prouidit nobis, qui labimur, atque
Pigrantes turpi tollimur à scelere:
Non poterit iustas scelerum cito sumere pœnas,
Tardabunt gressus vulnera namq; pedum.

Felle, & aceto potatur.

Exclamat IESVS, altâ moriturus in orno,
Prò, sitio! vexat torrida labra dolor.
Dixerat. insanus miles propinat acetum,
O tristis potus, sed magis improbitas!

Inclinat caput.

Inclinas quod Christe caput, faciemque, stupesco,
Sedulus & causam quæro, nec inuenio.
An quia confixit nostri Te magna cupido,
Nos ita in amplexus, pendulus inde vocas?
En dextram cupidus IESV tibi porrigo, viuam;
Te sine mî tantum viuere non liceat.

Moritur.

Extollunt libri quendam super æthera seruũ,
Viueret vt Dominus, maluit ipse mori.
Quid dicam, Christus quanto celebrandus honore,
Pro seruis qui sic maluit ipse mori?

Pro Domino hic vitam posuit, nam debuit, altus
Vitam pro seruis obtulit ipse Deus.
Tantus amor Christi, rerum cui summa potestas!
Ipse subit mortem, ne moriatur homo.

Lancea percutitur.

Vt Pater excelso despexit ab æthere mundum,
Et Nati vidit pendula membra sui;
Hæccine Nate tuis soluuntur præmia factis?
Hæc meritis tibi debita iusta tuis?
Dixit. & extemplo Christi latus hasta forauit,
Restabat solus, scilicet iste furor.
Lancea, sit fælix. magis est hæc Porta. beatas
Hac sine, quis potis est visere delicias?

E latere fundit aquam, & sanguinem.

Cur tua Christe nouo concedis pectora leto?
Non sudasse satis membra cruore fuit?
Sanguine, vel ruptis venis, demergere carnem?
Nec non exosis sordibus, ora dare?
Ast exangue latus permittens cuspide frangi,
Cur sanguen' fundis; quem comitatur aqua?
Sanguinis est feruor, circa penetralia cordis
Ira; canit cunctis magnus Aristoteles.
Eijcit hanc igitur totam de pectore, Mundum
Qua licet ingratum, posset amare magis.

Multa tulit, fecitq;ue Deus pro gente scelestâ,
Hoc nî fecisset, fecerat ille nihil.

Sepelitur.

Iusta Redemptori soluuntur. Munde, potestné
Obsequium tantum soluere gaza tua?
Soluuntur, pretium poscis, quod contulit orbis?
Contemptus grandes, vulnera mille, necem.
Obsequium tali pretio si Munde rependis?
Non Deus, at Dæmon seruiat inde tibi.

In Christi tumulum.

Ego creo cælos nouos, Isaiæ 65. ℣. 17.

Cælorum formare nouos, ô Christe, coluros
Nil opus. est cælum, flebilis vrna, nouum.
Nam si Te, Solem: si vulnera, sidera: Matrem,
Dicimus & Lunam? En cuncta habet hic tumulus.

Ad Iudam.

Oscula plena doli properas, fur improbe, falsis
Et verbis blandam fingis amicitiam.
Falli posse putas Christum, dum fingis amorẽ?
Scit benè, quod sint hæc oscula, Proditio.

In

In funes.

Plaudite mortales, quos turpis noxa remordet,
Nec petit absolui, conduplicata nisi.
Ambas ecce manus funis constrinxit IESV;
Flectere non poterit crimina vestra statim.

Ad columnam.

Quis magis in culpâ? Iudæi fortiter ictus
Congeminant, at tu sacra columna tenes.
Qui tenet insontem furibundis hostibus, ille
Non minùs, imô magis dicitur esse reus.
Cur igitur retines illum, qui spontè stetisset?
An ne defessus corruat? esto. Tene.

In Iudam.

Si tantum placuit, Iuda, pendere scelestè:
Et placuit turpem frangere reste gulam,
Impie, quò Christum vendis, quasi vero mino-
Hic restis pretio, non potuisset emi? (re

Ad Coronam.

O diadema nouum, nullum cui par erat vn-
quam,
Quod fecit furijs exagitata phalanx;
Tunè Dei capiti patiêre corona reponi?
Vis ambire tui tempora tunè Dei?

Nolles hoc credo, nec forsitan ausa fuisses:
Ni subtracta tibi vis tua magna foret.
Cingere frontem ergo debes (miserabile certè)
Noluit, hinc culpâ; cùm sit adacta, vacat.

Ad Christi carnifices.

In cruce sublimi, cur figis pectus IESV?
Dic mihi, quid fecit, turba scelesta, mali?
Tanta tibi in Christum concessa licentia? sum-
Tun' aude sartus dilaniare Dei? (mi
Fige reum potiùs turba; insontemq; relinque
Impia; nil Christum nam meruisse scias.

Ad Longinum.

Hastane Longini fælix, Longinus an ipse,
Diuinum laniat quo stimulante latus,
Hæreo. sed credas, oculus fælicior ictu
Tunc Longine tuus ni foret; hasta foret.

In Iudam.

Narraris verpis, ô Iuda, vendere Christum,
Non credo, gratis das latro quippè Deum.
En, inquis, nummos habeo triginta: quid inde?
Adde super Mundum, gratis inique dares.

In Spongiam.

Fælici prognata loco, per spongia fælix,
Tangere quæ poteras membra sacrata Dei.
Orbi-

Orbicolis fies puto pretiosior auro,
Nam poteris scelerum sola leuare sitim.

Ad Lanceam.

Lancea, quid rumpis pectus, latus atque sacratum?
Elicis & fontem sanguinis inde sacri?
Nostra feri potiùs; fluat vt sic noxius humor,
Sanguine nil Christi sanius esse potest.

In Crucem.

Quæ te, tam celebris generauit sylua, recisum
A trunco lignum? quæ manus inseruit?
Fors nemus illud erat sacrũ, diuisq; dicatum,
Protulit & quæ Te terra, beata fuit.
Si dignum Christi nunc es contingere membra;
Crediderim posthac te meruisse polum.

In hastam Longini.

Te quis at infaustam, turpem, vigilemq́ue putabit,
Dira cruentatum dum petis hasta latus?
Sanctior vlla fuit te, nec pretiosior hasta,
Exhinc, diducto vulnere, sancta manes.

In Iudam.

Desperans animã Sathanæ, corpusq; dicauit
Iudas; & verpis munere marsupium.

Omnia

Omnia distribuit, superis at nulla dicauit
Munera, cur? summum vendidit imò Deũ.

De Longino.

Traijcit æratâ Longinus cuspide Christum,
Expers iam sensus, perfodit atque latus,
Subsequitur sanguis; telum, dextramque cruentat,
Gutta salutaris restituitque oculum.
Lumine iam cernit gemino; qui viderat vno,
Iam Longinus & est, qui modo Cocles erat.

Ad Crucem.

Impia trabs, ligni funestum pondus acerbi,
Cur vellis Magni brachia casta Dei?
Vulneribus, luctuq; tuum venerare Parentem,
O pietas, vbi nunc, dic, tua iura latent?
Brachia Crux vellis. cuius? si noscere posses,
Credo tua leuiùs nil grauitate foret?

In Iudam.

Non mirum Iudas, quod rupto viscere pendet,
Namq; animæ, laqueo clauserat ille, viam.

Ad Tortores.

Desine, quid laceras insontem turba luporũ?
Hîc amor, hîc pietas, hîc latet omne bonũ.
Pergite

Pergite tortores, carnem lacerare sacratam;
Hîc amor, hîc pietas, hîc latet omne bonū.

Ad Crucem.

Num tuus hic fructus; longè pulcherrima quercus?
Arbor non pomo par tulit vlla tuo,
Tu quoq́ue; cælesti regione fuisset in hosce
Ni missum ramos, tale nihil dederas.

Ad Longinum.

Corpus in exanimum cur sæuis lumine capte?
Cur sacro lateri lancea fixa stetit? (tem?
Quid remorare sacrum præcluso vulnere fon-
Eripe, non aliter profluet inde Salus.

In Crucem.

Cur Christum retines cæli, terræq́ue Monarcham
Arbor, nec Domini cur miserere tui?
Nec volo, nec possum. certissima nascitur inde
Vita, salusq́ue tibi; gloria Summa mihi.

Ad peccatorem.

Ne scelerum pænas Stygias, ne fata suprema,
Extimeas, quisquis corda nefanda geris.

Ne pænas æternas pendas, iam pendet IESVS
In cruce, vult pro te, ne moriare, mori.

In Iudam.

Per mediũ, Iuda, disruptus ab arbore pendes,
Credo vides, fructus quis sit Auaritiæ.

Ad Veronicam.

Ora Dei strophio curas abstergere sputis,
Concreto madidas, atque cruore genas,
Soluitur obsequium. Minimum sic ille laborẽ
Soluit, veram eius nam capis effigiem.

Ad IESVM pendentem.

Gemmea Principibus regnorum insignia dantur:
Crux, claui, spinæ, purpura trita Deo,
Baiano Reges etiam gradiuntur in ostro:
Rex Regum moriens, in cruce pendet inops.
Qualia pro meritis tandem tibi dona rependã?
Totum cor IESV, pro cruce figo tuâ.

Maria Magdalene ad Christum Cruci affixum.

Occidis æterni soboles æterna Parentis,
Dum pro me pateris, vulnera, flagra, crucem.
Mors

Mors tua, vita mihi; membris, cruor esto lauacrum,
Mersa luto scelerum, quæ iacuêre diu.
Me comitante Crucem portas, morerisque vidente;
Fac, precor, ingrediar te comitante polos.

In Amorem.

QVid non audet Amor? vias
Spinis, aut adamantibus
Septas indomitis init
Acer, tristia nec timet
Iræ vulnera, compedes
Hic lucrum putat optimum,
Mercedemque laboribus
Mortes. Num sit amor cupis
Verus nosse? vias silex
Inuictus premat, horridis
Obstet semita cotibus,
Sursum fulmina sæuiant,
Orci sub pedibus fremant
Monstra: non superabitur
Verus, celsior omnibus
Stabit, tutus & in malis.
Talem solus habet DEVS,
Mundus non habet? en habet.

Ad-

Ad Zoilum.

Detrahis, insimulas, mentiris, fingis, & auges.
Factum Cretensi, dixero, te esse luto.

Ad eundem.

Zoile, condoleo quod passim stultus haberis,
Vis dici prudens? disce tacere prius.

A. M. D. G.

H.W. 96.